

~~C. H.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

11-58.

SIGNAT. 1515 CCCXIII.

Q. D. B. V.

Annua memoriam

**DN. MELCHIORIS CAS-
PARI WINCKLERI,**

Haereditarii quondam in Ober-Ullersdorff & Sommerau
recolendam

ORATIONE

**de
CRITICÆ SACRÆ
USU ET ABUSU,**

in primo

GYMNASII

Auditorio,

d. 2. Junii A.O.R. MDCCXII.

quac habebitur,

commendat

**DNN. PATRONIS FAUTORI-
BUS ET AMICIS**

M. Adam Erdmann MIRUS,
Gymn. ConR.



ZITTAVIAE, Litteris Hartmannianis.




Riticam Sacram dispesci in Iudicium & Emendationem, decantatissima vox eruditorum est. Uraq; pars insignem habet usum, perversum abusum. Judicij accuratioris ratio eo magis habenda in dijudicando textu originali; qvo magis crebra lectionum varietas animum saepe dubium & suspensum reddit. Magnam illarum copiam observare licet in antiquo Foedere; maximam in Novo. Illae introductae sunt interdum peculiari hominum studio, interdum scribarum negligentiae debent originem, inter dum solo casu additae. Qvae industria & religione piorum hominum introductae sunt lectiones variantes, dici solent criticae, symbolicae ac mysticae, quoniam animos hominum & ad diligentiores attentionem, & ad rerum propositarum considerationem penitiorem, & ad admirationem maiorem divinorum mysteriorum debent adducere. Incuriae & negligentiae librariorum debent originem lectiones variantes, quae irregulariter scribendi modum habent, & vel in vocalibus quid peculiare habent; vel in consonantibus redundantiam, defectum, permutationem, transpositionem, ductumq; singularem & a communi consuetudine recedentem ostendunt. Casu additae sunt, si literae nonnullae sive tinearum injuria rosae, sive multo codicum usu mutilatae sunt. In novi Foederis codicibus eo major lectionum variantium copia occurrit; quo frequentius inter tot gentes nationesque diversas, & per tot secula descripta sunt Evangelistarum & Apostolorum monumenta. Pleraque tamen vel a Patribus priscae Ecclesiae sunt introductae, vel heterodoxorum perfidiam spirant, vel librariorum culpa sunt introductae. Patres certe sive memoriae felici nimium tribuentes, sive sensum magis, quam verba textus originalis attendentes, non raro loca aliis, quam quae in fontibus legebantur, verbis allegarunt. Cumque compendii causa modo quasdam voces in sacris dictis omitterent; modo illustrationis gratia nonnullas adderent; modo quasdam synonymicas textui infererent; modo Casus, Tempora, Numeros,

Mo-

Modos & Personas permutarent: dici vix potest, quantum negotii in eruenda lectione vera sequiori aetati fecerint. Haereticorum perfidia nunquam dubitavit, hostiles manus admoveere divinis literis, & in illis corrumpendis refingendisque perversum testari studium. Testem producimus Hieronymum, quod Manichaei tale facinus sint ausi. Accusat Epiphanius Marcionistarum fraudem. Eandem repetit de Arianis Ambrosius. Nec nisi nigro calculo notaverit librariorum sive incuriam, sive temeritatem, qui damnum ab illis natum intelligit. Cum enim ex Codicibus manuscriptis, more istorum temporum vel paucis, vel omnino nullis distinctionum notis exaratis, sua describerent exemplaria; modo praeteriverunt voces ad sacrum textum pertinentes, modo alienas inseruerunt, modo per abbreviaturam decurtatas non recte legerunt, modo alia ratione peccarunt. Irenaeus hanc ob causam gravissime invehitur in Scribas, eorumque fidem exposcit admonitione seria, dicens: Adjuro te, qui transscribis librum istum per Dominum Jesum Christum, & per gloriosum ejus adventum, quo judicaturus est vivos & mortuos, ut conferas, postquam transcriperis, & emendas illud ad exemplar, unde scripsisti diligentissime: hanc quoq; obtestationem similiter transferas, ut invenisti in exemplari. Adeo abusi sunt his variantibus Scripturae S, lectio-
nibus cum Ludovico Capello multisq; aliis pleriq; Pontifici & Sociniani, atq; in dies singulos abutuntur, ut prodigiosas condant doctrinas, Tabulas V. & N. T. originarias impie aggrediantur, convellant, labefactent, easq; omnino corruptas esse perhibeant. Argum igitur esse oportet, qui boni Critici partes adimplere, verumque artis hujus usum a turpissimo abusu separare satagit, ne vel in Scyllam graviorum errorum incidat, vel omnino a detestandae impietas Charybdi abripiatur. Quo laboriosius autem videtur, aequa judicii lance singula expendere, quiae in examinando textu originali Criticae S. leges requirunt; eo difficilius est, in emendationis cura periculosos evitare scopulos, cursum inoffenso pede peragere. Oportet enim Criticum instructum esse non solum omnibus mediis Hermeneviticis; sed & in applicatione istorum summam adhibere cautelam, ne vel partium studiis in transver-

sum

sum agatur, vel omnino a veritatis divinae tramite aberret. Nullo quidem tempore defuerunt, qui hoc in se derivarunt munus, & in literis divinis conservandis muniendisq; contra hostium impe-
tnm omnem adhibuerunt operam. Illustris est apud Judaeos Sy-
nodus Hierosolymae praeside Esdra instituta, & per tot secula mo-
do a Sapientibus Judaeorum, modo a Masoretis Tiberiensibus, mo-
do ab istorum successoribus continuata. In novo Foedere Maso-
rae vices supplent variae Versiones a diversis factae nationibus.
Supplent Harmoniae Biblicae, notae Philologicae, Criticae, Inter-
pretationes Scripturae divinae, Commentarii, & sexcenta alia.
Tantum tamen abest, ut media haec dubia removeant omnia, ut
potius Critico gravissimae difficultates superandae restent. Scili-
cet, si usum genuinum a turpissimo hujus artis abusu distinguere,
sordidisque relictis, solidam veritatem venerari cupit; piis preci-
bus praemunitus ad laborem tantum tamq; arduum accedat, ne-
cessle est. Verba divinitus inspirata non populari trutina exami-
nanda, sed omni mentis cura ponderanda sunt. Praeterea empha-
ses vocum cum in prima origine & significationis proprietate,
tum ex usu amplissimo beneficio Concordiarum investigare te-
netur, simulq; scrutari ex modis loquendi, variisq; linguarum Ori-
ginalium idiotismis sensum verum. Antecedentia quoq; cum Con-
sequentiibus serio conferenda. In primis vero videndum, ut inter-
pretatio Analogiae fidei & Scripturae sit conformis. Illa enim om-
nes fidei articulos ad propriam & nativam sedem revocabit, facili-
usque explanabit loca, quae primo intuitu videntur esse contraria.
Haec typum cum antitypo, parabolam cum ejus explicatione, pro-
phetia cum ejus complemento, alia cum aliis conferens, pulcher-
rimam Scripturae divinæ harmoniam ostendet. Delineavimus bre-
viter, quae in annua B. WINCKLERI memoria a nobis expectan-
da sint. Ut igitur DNN PATRONI reique literariae AESTIMA-
TORES magna frequentia adesse, nobisq; de Criticae S. Usu & Ab-
usu dicentibus benevolas praebere aures velint; qua possimus ob-
servantia, contendimus, ad omnia humanitatis officia paratissimi.
PP. Dom. I. Trin.



Ung. VI 58 (1)


ULB Halle
002 686 287

3



56,

VDI 7
Sep. 2000 Pd.



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Centimetres
Inches

Q. D. B. V.
Annuam memoriam
DN. MELCHIORIS CAS-
PARI WINCKLERI,
Haereditarii quondam in Ober-Ullersdorff & Sommerau
recolendam
ORATIONE
de
CRITICÆ SACRÆ
USU ET ABUSU,
in primo
GYMNASII
Auditorio,
d. 2. Junii A.O.R. MDCCXII.
quac habebitur,
commendat
DNN. PATRONIS FAUTORI-
BUS ET AMICIS
M. Adam Erdmann MIRUS,
Gymn. ConR.
ZITTAVIAE, Litteris Hartmannianis.

